

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

III

TEMPUS PER ANNUM

LITURGIA HORARUM

Officia propria
Archidioecesis Coloniensis

III

TEMPUS PER ANNUM

APPROBATUM IMPRIMATUR

Köln, den 15. August 2002

† JOACHIM KARDINAL MEISNER
Erzbischof von Köln

CONFIRMATUM

11. November 2002 · Prot. n. 2282/99/L

Rom – Vatikanstadt

† Franciscus Kardinal Arinze
Präfekt der Kongregation für den Gottesdienst

† Franciscus Pius Tamburrino
Erzbischof
Sekretär

Herausgegeben vom Erzbistum Köln

Druck: J. P. Bachem, Köln

3-7616-1713-5

CALENDARIUM
PROPRIUM ARCHIDIOECESIS COLONIENSIS

FEBRUARIUS

- 5 S. Adelheidis, virginis et abbatissae

MAIUS

- 21 S. Hermannii Ioseph, religiosi et
presbyteri Memoria

IULIUS

- 8 SS Joannis de Coloniensis, presbyteri, et sociorum,
martyrum
- 9 S. Agilolfi, episcopi
- 23 S. Apollinaris, episcopi et martyris
PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS DUSSEL-
DORPIENSIS
In civitate Dusseldorpiensi: Sollemnitas
- 23 Translatio reliquiarum trium magorum
In civitate Coloniensi Memoria

Die 5 februarii

S. ADELHEIDIS VILICENSIS, VIRGINIS ET
ABBATISSAE

Adelheidis, filia Megingoz comitis uxorisque eius Gerberg, abbatissa facta est monasterii Vilicensis prope Bonnam siti, fundati anno fere 983 a parentibus suis. Sorore eius Bertrada anno fere 1002 mortua, etiam monasterio ad S. Mariam in Capitolio Coloniae praefuit. Eo tempore, quo homines fame laborabant, benefactorem pauperum et infirmorum se praebuit. Heribertus archiepiscopus Coloniensis eius prudenti consilio libenter utebatur. Mortua Coloniae inter annos 1008 et 1021, deposita in ecclesia Vilicensi et mox in sanctis habita est.

De Communi sanctarum mulierum: Pro iis qui opera misericordiae exercuerunt, Vol. III., 1545.

Ad Officium lectionis**LECTIO ALTERA**

Ex Homiliis sancti Ioánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Romános

(21,1–2: PG 60, 603–604)

Misericordia in hilaritate

Non súfficit miseréri, sed id opórtet lárgiter et ánimo non tristi fácere, quin pótius laeto et gaudénte: neque enim par res est non tristári et gaudére. Hoc ipsum autem ad Corínthios scribens, apóstolus cum multa diligéntia constituit; nam ad largitátem éxcitans ait: *Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet*: ánimum vero dírigens addit: *Non ex tristítia, aut ex necessitáte*. Utrúmque enim adesse debet miserénti, abundántia et volúptas. Cur enim ploras dans eleemósynam? Quid doles, dum miseréris, et fructum boni óperis prodis? Si enim doles, non miseréris, sed crudélis es et inhumánus. Si enim tu doles, quómo do illum in dolore degéntem alleváre póteris? Optándum enim est, ne

ille quídpíam suspicétur mali, etiámsi cum gáudio déderis. Quia enim nihil ita turpe vidétur homínibus esse, ut ab áliis accíperere, nisi ex summa hilaritáte suspiciónem áufferas, et osténdas te magis accíperere quam dare, pótius accipiéntem deiícies, quam allevábis. Proptérea dicit: *Qui miserétur, in hilaritáte.*

Ne itaque expénsae pecuniárum atténdas, sed provéntui ad expénsa adveniénti. Nam si qui séminat gaudet, etsi in incértum séminet: multo magis qui coelum quasi agrum colit. Ita enim, etsi pauca des, multa dabis; ut si cum maestítia multa déderis, ex multis pauca fecísti. Sic vídua multa talénta duóbus óbolis superávit, largus enim ánimus erat. Et quómodo póterit, ínquies, is qui in paupertáte vivit, et ómnia effúndit, id alácríter fácere? Intérroga víduam, et modum áudies sciésque mentis angústiam non ex paupertáte, sed ex voluntátis propósito et illud et quidquid illi contrárium est fferi: potest enim quis et in paupertáte magni, et in divítiis pusílli esse ánimi. Ideo in largitióné simplicitátem quaerit, et in misericórdia hilaritátem, et in patrocínio diligéntiam. Non enim pecúniis tantum vult nos páuperes iuváre, sed étiam verbis, rebus, córpore et áliis ómnibus.

RESPONSORIUM

Mt 25, 35.40

R. Esurívi, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me: * Amen dico vobis: Quámduu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

V. Fenerátur Dómino, qui miserétur páuperi. * Amen.

Oratio

Deus, qui in beáta vírgine Adelhéide nobis praeclára dilectiónis exémpa praebuísti, et vitam religiósam per eam renovásti; eius précibus nobis concéde: ut, ópera caritátis exercéntes, inter benedíctos regni tui connumerári mereámur. Per Dóminum.

Die 21 maii

S. HERMANNI IOSEPH, RELIGIOSI ET
PRESBYTERI

Memoria

Hermannus post annum 1150 Coloniae natus est. In abbazia Ordinis Praemonstratensis Steinfeldii presbyter ordinatus, curae pastoris boni atque prudentis in compluribus monasteriis se dedit, itemque vitam contemplativam amplexus est. Matrimonio mystico cum beatissima Virgine Maria iunctus est, unde cognomen Ioseph ei datum est. Hymni et orationes ab eo scripti venerationem intimam erga Sacratissimum Cor Iesu et Dei Genetricem indicant. Anno 1241 vel 1252 mortuus est in parthenio Cisterciensium Hovensi prope Tolbiacum sito, hodie „Marienborn“ nuncupat. Corpus eius vero non multo post in ecclesia abbatae Steinfeldensis depositum est.

De Communi sanctorum virorum: Pro religiosis,
Vol. III., 1539, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Gaude, felix Agrippina,
plaude, cohors Norbertina,
Deo laudes dicite!
Viro Dei, sancto mystae,
Ioseph sacer dies iste:
sancte hunc traducite.

Hunc tu mundo genuisti
ordinique transmisisti
candido, Colonia.
Eiffliam hic illustravit
et Steinfeldiam ornavit
sua sanctimonia.

Coluit devote piam
 puer innocens Mariam,
 abstinens a crimine;
 tota vita visitari,
 adiuvari, informari
 meruit a virgine.

Summus Pater hunc amavit
 et virtutum exornavit
 tunica polymita.

Fuit simplex, rectus, castus,
 pius, mitis, osor fastus,
 cunctis reddens debita.

Tu exaudi preces, Christe,
 tuas quas amicus iste
 fundit pro clientibus,
 ut et servuli nos tui
 cum eo possimus frui
 gaudiis caelestibus. Amen.

LECTIO ALTERA

Oratio sancti Hermánni Ioseph pro gratiárum actióne
 (J. Brosch, Hymnen und Gebete des seligen
 Hermann Josef, Aachen 1950, S. 9 f)

Gratiarum actio pro beneficiis Christi

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod homo fieri dignátus es propter nos. Per illam ineffábilem caritátem, da nobis verum et perféctum amórem in te: et sicut matrem tuam, Rosam, íntime laetificásti, sic nos íntime laetífica in córpore et ánima.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod ad te, regem glóriæ, stella reges duxit: et tu, per te, perdúcas nos ad te.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod oblátus es pro nobis in templo: et tu nos offer tuo Patri caelésti.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod baptizátus es pro nobis: et tu lava nos a peccátis nostris in ságuine tuo.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod in núptiis aquas convertísti in vinum: et tu convérte luctum nostrum in gáudium, nos ad aetérnas núptias perducéndo.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, quod ante passiónem tuam cum discíplis cenáre voluísti, teípsum eis dans ad edéndum et bibéndum: et tu da nobis sic te suméndum, ut tecum perpétuo possímus vívere.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui tráditus es, et captus pro nobis: et tu líbera nos a captivitáte aetérna.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui flagellátus es pro nobis, irrísus, cólaphis caesus, spinis coronátus, crucifíxus, felle et acéto potátus, quinque vúlnera pérferens, mór-tuus et sepúltus, et ad sínferos tandem descéndens, tuos inde liberásti: et tu nobis semper in omni assístas necessitáte, prótegas, deféndas, et ab omni malo nos consérves.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, pro his ómnibus: et da nobis sic passiónis tuae memóriam ágere, ut tecum possímus perpétuo vívere.

Grátias tibi, Dómine Iesu Christe, qui cum glória a mór-tuis resurrexísti Rosámque íntime laetificásti: per Rosae mérita fac nos tecum resúrgere tecúmque in aetérnum gaudére. Amen.

RESPONSORIUM

1 Th 6,18; Eph 5,20

R. In ómnibus grátias ágite: * Haec est enim volúntas Dei in Christo Iesu in ómnibus vobis.

V. Dómino grátias agéntes semper pro ómnibus. * Haec est enim.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Sancte mysta, te laudare
ipse Christus et vocare
est dignatus lilium.
Diva virgo tibi favit,
Ioseph sponsum te vocavit,
capellanum, filium.

Tibi quoque desponsari
 et per angelos portari
 ad te Iesum voluit.
 Quantus esses et quantorum
 apud Deum meritorum,
 angelus edocuit.

Ave, decus confessorum,
 norma tu presbyterorum,
 Ubiorum gloria.
 Tua noster, o patrone,
 est in benedictione
 merito memoria.

Tu exaudi preces, Christe,
 tuus quas amicus iste
 fundit pro clientibus,
 ut et servuli nos tui
 cum eo possimus frui
 gaudiis caelestibus. Amen.

Oratio

Dómine, Deus noster, qui beáto Hermáno Ioseph pie
 meditánti secréta caeléstia revelásti, et eius consílio afflic-
 tos sublevásti; eius précibus nobis concéde: ut, viam salú-
 tis cognoscéntes, ad revelatióem glóriæ tuæ perducá-
 mur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Gaude, felix Agrippina, **ut ad Officium lectionis.**

Die 8 iulii

SS. IOANNIS DE COLONIENSIS
 PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Memoria

Ioannes Heer, catholicae: veritatis et pastoralis caritatis
 præclarus testis, natus est in Germania, initio sæculi XVI. Fra-
 ter fuit conventus Coloniensis, et a suis superioribus instanter

postulavit Hollandiam petendi ut catholicos, qui sub dura persecutione calviniana erant, sublevaret. Cum ibidem parochi munere Hornariensis ecclesiæ fungeretur, ab hæreticis captus, martyr occubuit strangulatus suspendio extra muros civitatis Brielle ad Mosam, in Hollandia meridionali, ad mediam noctem inter 8 et 9 iulii 1572, una cum aliis 18 presbyteris et religiosis a proximior civitate Gorcum maiori ex parte provenienti-bus. Qui omnes pro catholica veritate circa Eucharistiam et Romani Pontificis primatum in Ecclesia pariter laqueo suspensi sunt; eorumdem corpora membratim discerpta. Clemens X die 24 novembris 1675 illum et socios sollemni ritu beatificavit; Pius IX die 29 iunii 1867 sanctos proclamavit.

De Communi pluri morum martyrum

Ad Officium Lectionis

Ex Exhortatione Origenis presbyteri ad martyrium

LECTIO ALTERA

(Nrn. 41–42: PG 11, 618–619)

Socii passionum Christi, socii erunt et consolationes

Si a morte transivimus ad vitam, eo quod ab infidelitate ad fidem transierimus, ne miremur si nos odit mundus. Nemo enim qui a morte ad vitam non transierit, sed remanserit in morte, eos amare potest qui transierunt a tenebrosa mortis, ut ita dicam, domo ad ædificia lucis vitæ, vivis ex lapidibus compléta.

Pro nobis posuit animam suam Iesus, et nos igitur ponamus cam, non dicam pro ipso, sed pro nobis, opinor autem pro iis qui martyrio nostro ædificandi sunt.

Adest nobis tempus, christiane, gloriandi. Ait enim: Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio autem spem; spes vero non confundit. Tantum caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.

Si, sicut abundant passionem Christi, ita per Christum abundat consolatio, summa alacritate passionem Christi suscipiamus, et abundant illæ in nobis, si abundantem

consolatióem appétimus, quam consequéntur omnis qui lugent; forte non ex æquo: si enim æquális consolatió esset, non esset scriptum: *Sicut abúndant passióes Christi in nobis, sic abúndat et consolatió nostra.*

Qui sócii passiónum sunt, proportióe passiónum quas cum Christo partiúntur, sócii erunt et consolatióis. Hæc ab illo díscitis, qui confidénter dixit: *Sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatióis.*

Ait autem per Prophéteam Deus: *Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.* Quodnam ígitur áliud tempus accéptius quam cum, propter nostram erga Deum in Christo pietátem, sub custódiám in pompa incedéntes in mundo, sed triumphántes pótius quam triumpháti, abdúcimur?

Mártyres enim Christi cum ipso expóliant principátus et potestátes, cum ipso triúmphant illos, ut cum sócii fúerint passiónum eius, et sic in iis quæ patiéndó fórtiter gessit, partem hábeant. Quæ autem ália perinde dies salútis ets ac illa qua hinc tali modo excéditis?

Sed, óbsecro, *némini date ullam offensióem, ut non vituperétur ministérium nostrum, sed in ómnibus exhibeátis vosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, dicéntes: Et nunc quæ est exspectatió mea, nonne Dóminus?*

RESPONSORIUM

Röm 8,35 ff.; Eph 6,12

R. Non est nobis colluctatió advérsus carnem et sanguinem, sed advérsus príncipes et potestátes, contra spiritalia nequitiæ in cæléstibus; * State ergo succínti lumbos vestros in veritáte, allelúia.

V. Accípíte armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. * State.

Oratio

Deus, qui in beatórum Ioánnis et sociórum glorióso martýrio mirum fidei ac fortitúdinis exéplum nobis præbes, concéde quæsumus ut, eórum præcónio et exéplum, advérsis mundi fórtiter obsisténtes, in veræ fidei confessióe perseverántes inveniámur. Per Dóminum.

Die 9 iulii

S. AGILOLFI, EPISCOPI

Agilolfus anno 745, Reginfrido pontifice mortuo, episcopus Coloniensis nominatus est. Reformandae Ecclesiae semper simili studebat vi et opere ac S. Bonifatius aequalis; synodo totius regni Francorum a Bonifato convocatae interfuit anno 747. Cuius reformationis hae fuerunt causae; ut vita christiana maiore opere foveretur, ut Ecclesia regni Francorum interiore societate cum Ecclesia Romana coniungeretur, et ut presbyteri institutione spirituali promoverentur. Mortuus est anno 752. (Quae in ecclesia cathedrali Coloniensi cultae sub nomine Agilolfi reliquiae, cuiusdam sunt martyris Malmundariensis)

De Communi pastorum, Vol. III., 1437.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístola sancti Zachariae papae ad episcopos Francorum

(MGH Epistolae selectae, 1, 183–184)

Communio Ecclesiarum particularium cum Cathedra Petri

Grátias ago Deo Patri omnipoténti et Dómino Iesu Christo único Fílio eius et Spirítui Sancto, qui vestra ómnium corda inflammáre dignátus est per diffúsam a se grátiam, ut in unitáte fidei et vínculo pacis amulétis et sit splendor Dómini Dei nostri super vos, dilectíssimi mihi, et abúndans gratia pacis et caritátis, ut sitis unum corpus spiritalis matris vestrae sanctae cathólicae et apostólicae Dei Ecclesiae, in qua Deo auctóre praesumus, impléntes illud prophéticum dictum: *Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum*. Etenim, etsi pro itíneris longitúdine quamquam córpore sumus abséntes, in spírítu tamen dilectiónis semper sumus vobis praeséntes habéntes vos in viscéribus nostris et assídue orántes, ut Deus et Dóminus noster Iesus Christus multo ámplius confirmet

corda vestra et corróboret in exhortatióne Evangélii in ministério quo fungimini, ut crédita vobis plebs vestris piis admonitióibus adiutóre Deo a diabólica fraude liberáta salva persístat vosque mereámini de eórum animábus in diem Christi apportáre lucrum. Scriptum quippe est: *Filii sapiéntiae ecclésia iustórum et nátio eórum oboediéntia et caritas*. Obsecro ergo vos, caríssimi mihi, *ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, ut decet sanctos, cum multa paciéntia supportántes ínvicem in caritaté, solíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis et caritátis, quia finis praecépti caritas est de corde puro et consciéntia bona et fide non ficta*.

Gáudeo in vobis, caríssimi, quóniam fides vestra et únitas erga nos pretiósá est et manifestáta non solum coram Deo, sed et coram ómnibus homínibus, dum ad fautórem et magistrum vestrum a Deo constitútum beátum apostolórum príncipem Petrum benigníssima voluntáte convérsi estis. Laudábilis fides vestra et bona fama, quóniam idípsum sápit, quae opórtet sápere. Et nunc Deo cooperánte est aggregáta sánctitas vestra nostrae societáti in uno pastoráli ovíli et est nobis unus pastor, qui a pastóre pastórum Dómino Deo et salvatóre nostro Iesu Christo princeps apostolórum et noster doctor est institútus.

Habétis itaque nostra vice ad confortándam dilectiόνem vestram et collaborándum vobis in Evangélium Christi sanctíssimum ac reverendíssimum Bonifátium fratrem nostrum archiepiscopum apostólicae sedis legátum et nostram praesentántem vicem. Sit ergo constántia vestra advérsus contentiόνes eórum, qui advérsa sápiunt et non quae Dei sunt, et erit fórtior petra constantia vestra, sicut scriptum est: *Ne timuéritis ex eis neque terreámini a fácie eorum, qui corpus occídunt, ánimam autem non possunt occídere*.

Pax vobis multa et grátia a Deo et Dómino nostro Iesu Christo ministrétur. Ampléctimur et osculamur acsi praeséntes caritatém vestram in unitáte spíritus in vínculo pacis et caritátis Christi. Deus vos incólumes custódiat, dilectíssimi nobis.

RESPONSORIUM

1 Th 1,8; Gal 4,19

R. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangé-
lium meum, sed étiam ánimas nostras: * Quóniam carís-
simi nobis facti estis.

V. Filíoli mei, quos íterum partúrio, donec formétur
Christus in vobis. * Quóniam.

Oratio

Deus, pastor animárum, qui beátum Agilólfulum epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas pásceret verbo, et presbytérium instauráret exémplo; da nobis eius interces-
siónē: et fidem serváre, quam verbo dócuit, et viam caritá-
tis sequi, quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

Die 23 iulii

S. APOLLINARIS, EPISCOPI ET MARTYRIS
PATRONUS PRINCIPALIS CIVITATIS
DUSSELDORPIENSIS

In civitate Dusseldorpiensi sollemnitás

Apollinaris episcopus Ravennatensis anno fere 200 persecu-
tione Christianorum martyrio coronatus est. Super tumulum
eius prope portum anno 549 basilica pretiosa „S. Apollinare in
Classe“ exstructa consecrataque est. Etiam ecclesia in palatiis
imperatorum sita postea in honorem eiusdem beati martyris „S.
Apollinare Nuovo“ nuncupata est. Anno 1164 reliquias sancti
episcopi Rigomagum translatas esse tradunt. Gulielmus de
Monte dux anno 1394 quasdam harum reliquiarum partes
Dusseldorpium translatas in ecclesia S. Lamberti deposuit.

De Communi unius martyris, Vol. III., 1414, vel pas-
torum, 1437, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Lux alma sacri martyris
orbem perfundit radiis,
qua purpuratus fulgidam
caeli conscendit curiam.

O pontifex egregie,
lux et decus Ecclesiae,
non sinas in periculis
quos tot mandatis instruis.

Per pasqua virentia
nos verbi fruge recrea;
refectas oves praeuius
caulis infer caelestibus.

Te, summe praesul, poscimus
cordis orisque vocibus,
ut nos venturo Iudici
commendes prece supplici.

Te nunc, Redemptor, quaesumus,
ut martyrum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula. Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Traditione Apostolica sancti Hippolythi episcopi
(31, 1–2: G. Dix, *The Apostolic Tradition of
St. Hippolythus*, London 1937, 2–6)

Ordinatio episcopi

Episcopus ordinetur electus ab omni populo. Quique cum nominatus fuerit et placuerit omnibus, conveniet populus una cum presbyterio et his qui praesentes fuerint episcopi, die dominica. Consentientibus omnibus episcopi imponant super eum manus, et presbyterium adstet quiescens. Omnes autem silentium habeant orantes in corde propter descensionem Spiritus. Ex quibus unus de praesentibus episcopis ab omnibus rogatus imponens manum ei qui ordinatur episcopus, oret ita dicens:

„Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in excelsis habitas et humilia respicis, qui cognoscis omnia antequam nascantur; tu qui dedisti terminos in Ecclesia per

verbum grátiae tuae praedéstinans ex princípío genus iustórum Abraham, príncipes et sacerdótes constituens et sanctum tuum sine ministério non derelínquens, ex inítio saeculi bene tibi plácuít in his quos elegísti praedicári: nunc effúnde eam virtútem quae a te est, principális spírítus quem dedísti dilécto Filio tuo Iesu Christo, quem donávit sanctis apóstolis qui constituérunt Ecclésiám per síngula loca, sanctificatióem tuam in glóriam et laudem indeficiéntem nómini tuo. Da, cordis cógnitor Pater, super hunc servum tuum quem elegísti ad episcopátum páscere gregem sanctum tuum et primátum sacerdotii tibi exhibére sine reprehensióne serviéntem noctu et die, incessánter repropitiári vultum tuum et offérre dona sancta Ecclésiæ tuæ; spírítu primátus sacerdotii habére potestátem dimíttere peccáta secúndum paecéptum tuum, sólvete étiam omnem colligatióem secúndum potestátem, quam dedísti apóstolis, placére autem tibi in mansuetúdine et mundo corde, offeréntem tibi odórem suavitátis. Per púerum tuum Iesum Christum, per quem tibi glória et poténtia et honor, Patri et Filio et Spírítui Sancto, et nunc et in saecula saeculárum. Amen."

Qui cum factus fúerit episcopus omnes os ófferant pacis, salutántes eum, quia dignus efféctus est.

RESPONSORIUM

Mt 25,21.20

R. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui.

V. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. * Intra.

Oratio

Cf. Oratio ad Laudes.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

Chorus exsultat caelitum,
turba plaudat fidelium;

Apollinaris passio
mundi sit exsultatio.

Hic in fervore spiritus
dum praedicat gentilibus,
quae eius membra perferunt,
referri lingua nequeunt.

Quam gloriose moritur,
qui moriendo oritur!
Tunc vere vitam invenit,
cum morte carnis interit.

Sancto exutus corpore,
stola vestitur gloriae;
carnis exit ergastulum,
caeli scandit palatium.

Te nunc, Redemptor, quaesumus,
ut martyrum consortio
iungas precantes servulos
in sempiterna saecula. Amen.

Oratio

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc, diem
beáti Apollináris epíscopi martýrio consecrásti; tríbue
nobis, quáesumus, fámulis tuis: ut, cuius venerándam
celebrámus festivitátem, précibus eius indulgéntiam con-
sequámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS Lux alma sacri martyris, **ut ad Officium lec-
tionis.**

Die 23 iulii

TRANSLATIO RELIQUIARUM TRIUM MAGORUM

In civitate Coloniensi Memoria

Fridericus Barbarossa imperator Germaniae cancellario suo
Reinaldo de Dassel, archiepiscopo Coloniensi, reliquias sanc-

torum donavit, quae adhuc in ecclesia S. Eustorgii Mediolani quieverant. Quorum corpora Reinaldus Coloniam deferri iussit, ubi anno 1164 die 23 iulii sollemniter in ecclesiam cathedralē veterem translatae sunt. Reliquiae in tumba pretiosissima reconditae, quam aurifex Nicolaus Virodunensis inter annos 1180 et 1220 creavit, a permultis peregrinantibus undique venientibus honorabantur, ita ut Colonia mox inter loca praeclarissima christianitatis numerata sit. Reges Gemaniae, accepta corona in urbe Aquisgranensi, ante tumbam Trium Regum dona votiva deponere assueverant.

Ad Invitatorium

Ant. Regem regum Dóminum: veníte, adorémus.

Psalmus invitatorius, ut in Ordinario, Vol. III., 523.

Ad Officium lectionis

HYMNUS

Iesu, vocator gentium,
illuminator cordium,
haec pro magorum gloria
clementer audi cantica.

Dum sanctitati debitas
magi coronas impetrant,
terrae relinquunt corpora,
his dives est Colonia.

Ducti superno lumine,
currunt magi cum munere,
et te reperto procidunt,
laetique dona proferunt.

Horum rogatu, quaesumus,
largire, Iesu, servulis
sequi vocantis gratiam,
ut consequamur gloriam.

Quot dona, tot mysteria:
per tus patet divinitas,
auro potestas regia,
myrrhaque mors ostenditur.

Deo Patri sit gloria,
tibi que, Patris Unice,
cum Spiritu Paraclito,
nunc, et per omne saeculum.
Amen.

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Léonis Magni papae
(Sermo 4 in Epiphania Domini, 3: PL 54,246–247)

Fides magorum illuminat fidem nostram

Dedúcti ígitur, dilectíssimi, in Béthlehem magi stellae praecedéntis obséquo, *gavísi sunt gáudio magno valde, sicut evangelísta narrávit; et intrántes domum, invenérunt*

púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum; et apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, tus et myrrham. Praeter illam stellae spéciem, quae corpóreum incitávit obtútum, fulgéntior veritátis rádius eórum corda perdócuit, ut priúsqvam labóres itinere inchoárent, eum sibi significári intellégerent, cui in auro régius honor, in ture divína venerátio, in myrrha mortalitátis conféssio deberétur. Et haec quidem, quantum ad illuminationem fidei pertinébat, potuérunt illis crédita et intellécta suffícere, ut corporali intúitu non inquírerent quod pleníssimo visu mentis inspéxerant. Sed diligéntia sugácis officii usque ad vidéndum púerum perseveráns, futúri témporis pópulis et nostri saeculi homínibus serviébat: ut sicut ómnibus nobis prófuit, quod post resurrectiónem Dómini vestígia vúlnerum in carne eius Thomae apóstoli explorávit manus, ita ad nostram utilitátem profícere, quod infántiam ipsíus magórum probávit aspéctus. Vidérunt itaque magi, et adoravérunt púerum de tribu Iuda, *de sémine David secúndum carnem, factum ex muliere, factum sub lege, quam non sólvete vénerat sed adimplére.* Vidérunt et adoravérunt púerum, quantitate párvulum, aliénae opis índigum, fandi ímpotem, et in nullo ab humánae infántiae generalitáte dissímilem. Quia sicut fidélia erant testimónia, quae in eo maiestátem invisíbilis deitátis assérent, ita probatíssimum esse debébat Verbum carnem factum, et sempitérnam illam esséntiam Fílii Dei, hómínis suscepísse natúram.

REPONSSORIUM

Cf. Mt 2,11; Ps 71,10

R. Tria sunt múnera pretiósá, quae obtulérunt magi Dómino in die ista; et habent in se divína mystéria: * In auro ostendátur regis poténtia; in ture sacerdotem magnum consídera, et in myrrha Domínicam sepultúram.

V. Reges Tharsis et ínsulae múnera ófferent, reges Arabum et Saba dona addúcent. * In auro.

Ad Laudes matutinas

HYMNUS

O sola magnarum urbium
maior Bethlem, cui contigit
ducem salutis caelitus
incorporatum gignere.

Quem stella, quae solis rotam
vincit decore ac lumine,
venisse terris nuntiat
cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum magi,
eoa promunt munera:
stratique votis offerunt
Tus, myrrham et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant
thesaurus, et fragrans odor
turis Sabaei, ac myrrheus
pulvis sepulchrum praedocet.

Iesu, tibi sit gloria,
qui apparuisti gentibus,
cum Patre, et almo Spiritu,
in sempiterna saecula. Amen.

Ant. 1 Tria sunt múnera, quae obtulérunt magi
Dómino: aurum, tus, et myrrham, Fílio Dei, regi magno,
allelúia.

Psalmi de dominica hebd. I., 555.

Ant. 2 Vidéntes stellam magi, gavísi sunt gáudio
magno: et intrántes domum, obtulérunt Dómino aurum,
tus, et myrrham.

Ant. 3 Stella ista sicut flamma corúscat, et regem
regum Deum demónstrat: magi eam vidérunt, et magno
regi múnera obtulérunt.

LECTIO BREVIS

Is 65,1

Quaesiérunt me, qui ante non interrogábant, invenérunt, qui non quaesiérunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quae non invocábat nomen meum.

RESPONSORIUM

Ps 71,10

R. Reges Tharis et ínsulae * Múnera ófferent. Reges Tharsis.

V. Reges Arabum et Saba dona addúcent. * Múnera ófferent. Glória Patri. Reges Tharsis.

Ad Benedictus, Ant. Ab Oriente venérunt magi in Béhlehem adoráre Dóminum; et apértis thesáuris suis, pretiósá múnera obtulérunt: aurum sicut regi magno: tus sicut Deo vero: myrrham sepultúrae eius, allelúia.

PRECES

Salvatórem nostrum, qui a magis adorátus est, magno cum gáudio venerémur, acclamántes:

Lumen de lúmine, hunc diem illúmina.

Christe, qui manifestátus es in carne,

– nos per verbum Dei et oratióem sanctífica.

Christe, qui iustificátus es in spíritu,

– líbera vitam nostram a spirítibus erróris.

Christe, qui apparuísti ángelis,

– fac ut gáudium caeli in terra percipiámus.

Christe, qui praedicátus es in géntibus,

– áperi corda hóminum virtúte Spíritus Sancti.

Christe, qui créditos es in mundo,

– credéntium ómnium rénova fidem.

Christe, qui assúptus es in glória,

– accénde in nobis Coloniénsibus desidérium regni tui.

Pater noster, etc.

Oratio

Deus, illuminator ómnium géntium, da pópulis tuis perpétua pace gaudére; et illud lumen spléndidum infúnde, córdibus nostris, quo trium magórum mentes illustrásti. Per Dóminum.

Ad Vesperas

HYMNUS

Vergente mundi vespere, degentes mundi termino lucis suffulti sidere, hymnum canamus Domino.	Tria sumentes munera, stellam sequentes praeuiam, quaerunt regentem sidera, urbem ingressi regiam.
-------------------------------------------------------------------------------------------------------	-------------------------------------------------------------------------------------------------------------

Ex orientis patria fidelium primitiae divina magi gratia luce lustrantur gloriae.	Instructi vaticinio Bethlehem petunt lumine, inventum in praesepio colunt natum de virgine.
--------------------------------------------------------------------------------------------	------------------------------------------------------------------------------------------------------

Trinum Deum et Dominum tribus signant muneribus, hominem, regem hominum, potentem in caelestibus.	Magorum patrocínio nos solvat Christus maculis, vitae donatos gaudio in saeculorum saeculis.
------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-------------------------------------------------------------------------------------------------------

Herodem vitant perfidum angelico admonitu, Christum praedicant splendidum genti suae in reditu.	Praestet Pater ingenitus, Filius cum Paraclito vitam nobis post obitum sancto magorum merito. Amen.
-------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------

Ant. 1 Tria sunt múnera, quae obtulérunt magi Dómino: aurum, tus, et myrrham, Fílio Dei, regi magno, allelúia.

Psalmi de Communi sanctorum virorum, 1512.

Ant. 2 Vidéntes stellam magi, gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum, obtulérunt Dómino aurum, tus, et myrrham.

Ant. 3 Stella ista sicut flamma corúscat, et regem regum Deum demónstrat: magi eam vidérunt, et magno regi múnera obtulérunt.

LECTIO BREVIS

Is 2,2-3

Et erit in novíssimis diébus praeparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et

dicent: Veníte et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius: quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem.

RESPONSORIUM

Ps 71,10

R. Reges Tharsis et ínsulae * Múnera ófferent. Reges Tharsis.

V. Reges Arabum et Saba dona addúcent. * Múnera ófferent. Glória Patri. Reges. Tharsis.

Ad Magnificat, Ant. Vídimus stellam eius in oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

PRECES

Salvatórem nostrum, qui a magis adorátus est, magno cum gáudio venerémur, deprecántes:

Animas páuperum salvas fac, Dómine.

Rex géntium, qui tamquam eárum primítias ad te adorándum magos vocásti,

– spíritum nobis adoratiónis et servítii largiáris.

Rex glóriæ, qui iúdicas pópulum tuum in iustítia,

– abundántiam pacis concéde homínibus.

Rex aetérne, qui pérmanes in omnes generatiónes,

– verbum tuum in corda sicut stillicídia mitte stillántia.

Rex iustítiae, qui liberáre vis páuperem, cui non est adiútor,

– míseris et afflíctis esto propítius.

Rex vitae, cuius nomen est benedíctum in saécula,

– in frátribus nostris defúctis mirabília tuae salutis adímple.

Pater noster, **etc.**

Oratio

Deus, illuminátor ómnium géntium, da pópulis tuis perpétua pace gaudére; et illud lumen spléndidum infúnde córdibus nostris, quo trium magórum mentes illustrásti. Per Dóminum.